



I. Abtheilung: Abhandlungen.

Aus Vaticanischen Archiven.

Zur Reformgeschichte des Benedictinerordens im XVI. Jahrh.

Von Bruno Albers, O. S. B. Rom.

Welch grosse Schwierigkeiten sich der Reform im Benedictinerorden zeitweise entgegenstellten, lässt das nachfolgende dem Vaticanischen Archiv (Var. Politic. Nr. 102) entnommene Protokoll des für Deutschland überaus thätig gewesen apostolischen Nuntius Felician Ninguarda¹⁾ erkennen. Hatten einerseits die Bewegungen der Reformation das kirchliche und religiöse Leben vielfach erstickt und falsche Begriffe vom Klosterleben aufkommen lassen, so darf doch ihnen nicht allein Schuld an dem Verfall des Glaubens und der Sitten gegeben werden. Für den Benedictinerorden hatte namentlich die Vergebung der Abteien an Commendataräbte die schädlichste Wirkung gehabt, weiterhin aber auch der Umstand, dass die Abteien beiderlei Geschlechts in die Hände des Adels geriethen und von ihm als Versorgungsanstalten ihrer nachgeborenen Söhne und Töchter betrachtet wurden, oder auch dass die Ordinarien ihre Pflichten zumal den Frauenklöstern gegenüber gröblich verletzten.

Der nachfolgende Bericht beschäftigt sich mit dem in der Diocese Passau gelegenen ehemaligen Benedictinerkloster Niedernburg. Die Stiftung dieses Klosters geht kaum über das X. Jahrhundert hinaus. Kaiser Heinrich II. hat das Verdienst die zerstörte und zerfallene Kirche wieder aus dem Schutte erstehen zu lassen. In diese Abtei gab sich Ninguarda im August 1581

¹⁾ Ueber Felician Ninguarda vgl. den Artikel von Prof. Schlecht in der »Röm. Quartalschrift« V (1891) S. 62 ff. u. 124 ff., wo auch reichhaltige Literatur angegeben.

und Juli 1583. Wie überall auf seinen zahlreichen Visitationen richtete er sein Augenmerk auf die Clausur und das Chorgebet, doch auch manches andere wird kurz berührt und darnach die Reform angestellt. Die ersten Reformversuche scheiterten. 1583 wurde beschlossen drei der widerspänstigsten Nonnen in anderen Klöstern unterzubringen und zwei Nonnen aus Salzburg und eine aus Frauenchiemsee zu berufen. Dann wurde eine zweite Visitation abgehalten und hierauf die in Zukunft zu beobachtenden Constitutionen vorgeschrieben. Der Bericht des Nuntius lautet:

De instituenda
Visitatione et reformatione monasteriorum et dioecesis
Pataviensis.

In episcopatu Pataviensi, qui amplissimam habet dioecesim, multa existunt monasteria Benedictinorum et Canonicorum regularium in quorum plurimis et notorius concubinatus viget et circa fidem religionemque varia emergunt scandala quorum aliquibus tamen indulta apostolica praetendentibus episcopus ipse debita remedia afferre non potest, cum ejus visitationem recuset, idque in Austria maxime evenit. Habet etiam in Bavaria monasterium ordinis S. Benedicti in quo, simul atque superior electus est, a conventualibus nulla praevia episcopi aut alterius confirmatione rerum administrationem suscipit et exercet sub privilegiorum apostolicorum praetextu. Quare consultum foret, si episcopo Pataviensi mandaret, ut hujusmodi monasteria necnon et alia ipsi immediate subjecta etiam tamquam sedis Apostolicae delegatus, quibuscunque privilegiis non obstantibus visitaret ac reformaret et ad debitam vivendi normam revocando atque hujus occasionis opportunitate totam quoque dioecesim visitaret, ad primaria loca personaliter accedens, id quod ab eo facile propter variam locorum commoditatem fieri posset et inde ad minora circumquaesque existentes fideliter ac diligenter referre etiam adhibendis remediis, consilio atque auxilio esse queant, magni enim referret si episcopum ipsum aut praesentem aut certe propinquum habuerint, qui visitari ac reformari debebunt.

Extractus:

Visitationis monasterii Monialium B. Mariae Virginis sive Stae Crucis in Niderburg Civitatis Passaviensis ordinis divi Benedicti habita per Rmum D. Felicianum Episcopum Scalensem Nuntium Apostolicum assistentibus Commissariis Rmi D. ordinarii anno 1581 in mense Augusti et renovatae anno 1583 in mense Julii.

Licet hoc monasterium sit Dno Episcopo Pataviensi uti Ordinario subjectum nihilominus ita fuit a praeteritis Episcopis neglectum ut nullam curam habuerint et Moniales pro suo arbitrio vixerint.

Cum hoc monasterium passum sit aliquoties incendium, ita fuit restauratum ut nulla clausurae vestigia amplius appareant neque rotae nec auditorii neque aliorum ad clausuram pertinentium imo in ingressu potius speciem communis domus, quam monasterii praebet

Intra monasterii portam est area et circumquaque habitant officiales ac famuli seculares monasterii nec ulla est alia janua, quae claudatur versus habitationis monialium, sed liber introitus; ad primam quidem portam habet janitor secularis, nemini tamen denegat ingressum, propterea ingrediuntur ad moniales viri et mulieres praesertim consanguinei etiam haeresi infecti.

Abbatissa cum suis ancillis seorsum habitat a monialibus, prope habitationes famulorum.

Moniales licet habeant dormitorium cum cellis nihilominus dormiunt omnes in eodem conclavi. Quae secum importarunt lectisternia solae cubant, caeterae binae. Habent ancillam saecularem, quae inservit.

Ultra abbatissam sunt sex moniales, quarum tres velatae, item tres puellae in habitu saeculari pro probatione. Ex velatis una est decrepita et sibi prae senio parum compos.

Suscipiuntur puellae ad habitum et professionem non intervenientibus monialium suffragiis neque R^{mi} Ordinarii examine et olim suscipiebantur tantum nobiles, nunc etiam ignobiles ex necessitate recipiuntur.

Admittuntur ad professionem absque anno probationis et interdum decimo sexto aetatis anno nondum completo.

Itaque licet hae moniales extiment(!) se esse professoas, nulla tamen est vere solemniter professa. Nam: Abbatissa D^{na} Kunegundis a Puechperg non completo duodecimo aetatis anno inscia Abbatissa aegrotante a duobus monialibus fuit simul ad habitum et professionem recepta atque ita abbatissae praesentata, quam etiam instruxerant, ut diceret se esse 16 annos natam, quod consanguinei aegre tulerunt, cum a maternis nuptiis nonnisi duodecim anni essent elapsi, anni deinde suae aetatis decimo octavo fuit etiam creata in abbatissam.

Caeterae moniales etiam velatae postridie post professionem habitum susceperunt quae professio ob hoc non fuit valida, cum nec prius in habitu annum probationis compleverint, neque in hujusmodi professione habitum ordinis habuerint, ita enim fuerunt susceptae ad habitum et professionem: Pridie quam abbatissae aliquam ad habitum est admissura, tradit ei schedulam latinam hujus tenoris:

Ego soror N. promitto stabilitatem meam et conversionem morum meorum et oboedientiam secundum regulam S^{ti} Benedicti coram Deo et sanctis ejus et praesente abbatissa D^{na} Kunigunde:

Cui propria manu germanice suberibit et abbatissae praesentat, quae apud se servat in signum oblationis ipsius et postridie dum ad habitum suscipitur ab abbatissa in manus ejus traditur regula divi Benedicti latine scripta his verbis: „Accipe regulam divi Benedicti et vide ut non solum auditrix, verum etiam satagas esse illius factrix.“ Post aliquot ad arbitrium abbatissae annos non servato ordinis ritu traditur illis ab abbatissa velum nigrum, nulla autem ab Episcopo benedicitur. Qui modus non solum est contra sacros canones, sed etiam formam, quam habent in monasterio. Nullum autem faciunt discrimen inter velatas et alias, nisi quod velatis plus vini et quorundam aliorum accidentium datur, quam aliis ob idque abbatissa differt ultra tempus dare velum monialibus.

Juniores moniales nunquam habuerunt magistram sed singulares puellae singulae habent propriam.

Habitus divi Benedicti nec integrum nec bene accommodatum ferunt praesertim scapulare et omnes fere gestant indusia lactucata sive rugata.

Regulam divi Benedicti tantum latinam habent non ita germanicam et ob hoc nec abbatissa neque moniales eam noverunt aut etiam viderunt, proinde cupiunt habere regulam germanicam et in ea doceri.

Interrogatae singulae responderunt se non esse obligatas ad perseverandum in monasterio cum nihil promiserint et quoad schedulas illas dixerunt se ignorare quid in illis contineatur et quod regulam nunquam legerint vel audiverint, aut alias ordinis sanctiones didicerint, nihilominus si melius tractentur ac victus amictusque pro necessitate praebeantur et de regula aliisque rebus pro regulari disciplina necessariis instruuntur, quod velint manere, si regularis ordo servetur.

Abbatissa conqueritur, quod aliquae nonnumquam petant licentiam abeundi ac nubendi.

Ipsae moniales egrediuntur singulis quindenis diebus ad quendam hortum juxta introductam ab aliquot annis consuetudinem.

Monialis Kunegundis habet fratrem Leonardum Schottner, ut fertur monachum apostatam, et haereticum, apud comitem de Ortenburg etiam haereticum, qui sororem solet invisere et aliquando conatus est eam secum ducere, quod successisset si ipsa potuisset licentiam impetrare.

Capitulum quod ad corrigendos defectus deberet semel ad minus in septimana haberi a multis annis est intermissum. Ob hoc conqueruntur moniales et petunt in Capitulo corrigi potius, quam coram extraneis, maxime famulis, id fieri.

Disciplinandi modus est eis omnino ignotus.

Ante post Primam ibatur ad Capitulum, in qua legebatur

martyrologium et caput aliquot ex regula latina et fiebant orationis pro defunctis, modo non legitur regula nec martyrologium.

Non habent priorissam seu decanissam neque vicariam, quae semper monialibus assistat, ut moris est, praesertim cum abbatissa numquam sit cum monialibus.

Matutinae preces olim canebantur, postea legebantur in choro. Nunc vero propter monialium penuriam pro festis diebus dicuntur in refectorio, festis vero in choro canuntur. Caeterae horae omnes cum vesperis et completoris ordinarie canuntur et utuntur breviario Sti. Benedicti.

Conqueruntur, quod nimis aggraventur in horis B. Virginis et pro defunctis, ita ut parum temporis habeant ad suos labores, quibus sibi provident de necessariis, maxime ad comparanda linte anima et conservanda lectisternia

Confiteri solent ad minus duodecies in anno et communicare.

Confessarius monialium susceptus ab abbatissa est quidam Joannes Hueber, qui fuit hactenus concubinariarius et confessiones illarum audit absque facultate ordinarii.

Confessarius audit confessiones monialium in quadam habitatione dormitorii versus ecclesiam, ubi soli manent.

Quando communicant sacerdos ingreditur chorum illarum et celebrat ibi missam pro exhibenda communione.

Habent tres capellanos quorum duo quotidie celebrant, sed absque respondente.

Calices, corporalia, et altaria nuda et immunda servantur.

Quod magnus clamor et irreverentia vulgi intra et extra ecclesiam tempore missae exerceatur nec prohibeatur.

Quod alterius aeditui uxor, ut plurimum adjuvat virum non solum in sacrario, sed etiam ad altare ministrando.

Per totum annum non habent concionem instituto proprio conformem et licet petierint, non tamen admittuntur ad sacras conciones.

Benedictionem quidem mensae et gratiarum actionem latine faciunt moniales, sed non intelligunt et in mensa nunquam lectionem habent. Et abbatissa nunquam cum monialibus in refectorio comedit, nec in refectorio, dormitorio ac templo servatur silentium.

Cum abbatissa ordinarie comedunt non solum aliquae famulae seculares, sed etiam duo viri officiales praecipui.

Apud abbatissam multa secularibus convivia exhibentur.

Jejunia de praecepto ecclesiae observantur, nisi quod in Quadragesima feria 3^a et 5^{ta} suppa conceditur ipsis vesperi.

Non servantur jejunia adventus neque alia ab ordine instituta. Feria sexta non jejunant nisi in Adventu et Quadragesima.

Panem monialibus aliquando ad sufficientiam non dari et denegari etiamsi petatur. Et interdum quando communicant fercula

esse teniora quam communibus diebus. Item ante fuisse meliorem tractationem quam nunc sit.

Quotidie habet unaquaque velata mensuram vini cum dimidia, aliae vero mediam partem et in festis ¹⁾ abbatissa praeter ordinarium adjunguntur duae mensurae in communi. Habent fercula pro sufficientia ex eadem culina et quidem cibis quemadmodum ex eodem vino potum, licet quoad cibum non sic bene tractentur, ut antea fiebat. Licet subministretur omnibus, ut dictum est victus, sed non amictus neque alia necessaria, nisi quod datur ipsis quod ex foundationibus olim etiam nobilibus dari solitum erat, et ex hujusmodi foundationibus habent universim in pecunia quindecim florenos cum dimidio. Item in novo anno unum florenum et unam libram cerae ac tres placentas. Et in festo natalis Domini quatuor placentas et tres cruciferos pro offertorio. Proinde conquirentur moniales, quod non possint omnes tam exigua pecunia sibi providere de necessariis praesertim cum etiam debeant tempore infirmitatis satisfacere pro medico et medicinis, quo fit, ut cogantur etiam parcere vino et illud vendere ac laborare.

Moniales non velatae conqueruntur, quod non solum non datur illis portio vini uti aliis, sed neque candela pro necessitate; ex pecunia etiam foundationum minus habent ac alia, et quod ob hoc abbatissa differat eis velum nigrum concedere. Item quod abbatissa prius solebat pro monialibus solvere mercedem sartoribus, sutoribus et aliis artificibus, modo tamen non semper faciat.

Munera, quae eis dantur retinent ad libitum nec tenentur indicare abbatissae, nisi libenter velint.

Quaelibet monialis retinet pecunias, iisque utitur pro arbitrio suo.

Abbatissa habet absolutum regimen temporalium et omnia disponit per famulos seculares et illorum uxores nec moniales de ullis negotiis consulit.

Quod abbatissa omnia monasterii officia committat secularibus et consanguineis spretis monialibus et quod ejus soror secularis habeat claves ad omnia. Ob hoc moniales petunt sibi ea officia committi.

Abbatissa nunquam facit ratiocinium cum monialibus et multo minus coram R^{mo} Ordinarii aut ejus commissariis.

Alienata sunt bona monasterii absque scitu monialium, et non pridem vendita est quaedam possessio in Austria eisdem ignorantibus, excusat se abbatissa, quod habuerit consensum ab Ordinario.

Abbatissa non solum abbatiae sigillum, sed etiam monasterii apud se retinet et eo utitur absque scitu monialium.

¹⁾ fehlt *ab*.

Pridie visitationis moniales admonuerunt abbatissam se velle R^{mo} D^{no} Nuntio proponere omnia gravamina, quae haberent, quas abbatissa conata est deterrere ab hoc proposito.

Perfecta visitatione cum essent omnes in choro congregatae et premissa exhortatione per D. D. Suffraganeum in praesentia R. D. Ordinarii et aliorum interrogatae a R^{mo} D. Nuntio Apleo an velint confirmare professionem, quam emiserunt modo supra-dicto, responderunt se nolle, nisi prius intelligant, quid dicta professio comprehendat et de regula doceantur: atque ea omnia observantur in monasterio, quae juxta ordinis institutum sunt, praesertim, quod necessaria suppeditanda et ut abbatissa se matrem et non dominam exhibeat; adjungentes etiam quod velint claudi, in quarum etiam sententiam, quoad hoc, ivit ipsa abbatissa. Quibus R^{ms} D^{ns} Nuntius respondit, uti merebantur.

Hactenus quae in visitatione ante biennium reperta, quae postea hoc mens. Julio acta jam subsequuntur.

Post praedictam visitationem et R^{mi} D. Nuntii discessum, quumque moniales duae velatae et aliae tres juniores tumultuari coeperunt, ita ut discedere omnino constituerent potius quam clausuram et reformationem ferre vellent ob idque chorum amplius ingredi et in aliis etiam rebus facere officium desierant, ita ut RR. Dⁿⁱ Suffraganeus et officialis ac praepositus cathedralis ecclesiae Pataviensis commissarii R^{mi} Ordinarii de mandato suae R^{mae} D^{nis} infrascriptos articulos ab ipsis observandos praescripserint anno Dⁿⁱ 1581. die X. Decembris:

Ne extranei cujuscunque status sine licentia D. abbatissae ad moniales ingredi permittantur.

Ut posthac famula monialium a D. abbatissa suscipiatur neque ea egredi permittatur nisi de speciali D. abbatissae licentia.

Ne litras aut donaria recipiant aut alio mittant sine prescitu D. abbatissae. Tollendam esse proprietatem atque monialibus omnia necessaria esse aequaliter distribuenda.

Ut D. abbatissa majorem curam habeat, quatenus divinus cultus pie et diligenter peragatur, ne R^{mo} occasio prebeat inobedientes severius castigandi.

Ut se non veluti dominam, sed potius matrem erga sorores exhibeat, ipsis condoleat atque ad observationem regulae S^{ti} Benedicti frequenter admoneat.

Deinde cum praedicti DD. commissarii viderent illas omnino esse durae cervicis et contumaces perseverare, coacti fuerunt illas quatuor aliquandiu in carceribus retinere done(c) ¹⁾ aliquo modo humiliatae promitterent se ad chorum accessuras et solitum officium facturas, postea tamen una excepta, quae ad sanio-

¹⁾ Fehlt »c«.

mentem rediit, ad eandem obstinationem reversae frequentibus literis predictos commissarios molestarunt, ut dimitterentur, iterumque eorum adire aliquamdiu neglexerunt praesertim (ut ipsae ajunt) ob anteriorem abbatissae tractationem iterumque monasterii idem qui antea status fuisse repertus est. Praemissa vero admonitione et cohortatione iis de rebus, quae ad salutem illarum et ad meliorem mentem inducendam pertinere videbantur tum omnes, tum etiam singulae die 7 Julii per Rmum D. Nuntium et quatuor commissarios Rmi D. Ordinarii diligenter ordinatae obdurato animo in eadem discedendi pertinacia quasi simul conjurassent, perstiterunt, quaedam se invitas et a parentibus illuc detrusas esse, et aliquae ex curiositate ingressas praetendentes, ita ut nihil plane effici potuerit cum illis, ut manerent et resipiscerent, cum obstinate dicerent se neque in hoc neque in alio monasterio mansuras et abbatissa separatim admonita affirmaret se potius discessuram, quam ut easdem quatuor moniales in monasterio amplius ferre velit: quare cum Rmus D. Nuntius et commissarii nihil proficerent, significarunt illis, se cum Rmo D. Ordinario omnia communicaturos tumque responsum daturus.

Die igitur 9 mensis Julii habita consulatione cum R. D. Ordinario et praedictis suis commissariis videlicet R. D. Hectore, Suffraganeo et officiali Andrea abbate Benedictinorum civitatis Salisburgensis, Christophoro Pöttinger, praeposito, Antonio Fabritio, Doctore Theologo cathedralis ecclesiae Passaviensis decano, et Georgio Lutherio D. Theologo, praeposito Monacensi et canonico Passaviensi, conclusum est, dictas moniales esse si non solenniter saltem tacite professas, ob idque ad regulam Sti Benedicti omnino teneri et compelli debere. Deinde ut consulatur illarum saluti perpias et crebras admonitiones videndum non invicem possent abbatissa et praedictae quatuor moniales reconciliari, sin minus ut carceribus prius castigatae omnes quatuor separentur et ad diversa monasteria mittantur, videlicet ad Honberg, Kiemsee, et Khiebach, quarum Dorothea hic, et illae ibi sub bona custodia retineantur, loco autem istarum ex monasterio Sti Petri Salisburgi duas alias moniales esse assumendas et tertiam ex Chiemensi monasterio, videlicet sororem Marinam olim abbatissam ibidem vocandam. Praeterea esse Monachii duas honestas puellas, quae monasterium reformatum cupiant ingredi, et ut omnino monasterium hoc reformetur, secundum regulam D. Benedicti et ordinationes praescriptas, sancitum est, ut aliquis Pater sui ordinis, ex alio Bavariae monasterio reformato huc vocetur, qui cum alio sacerdote collega sui ordinis huic(!) veniat et huic functioni satisfaciat, quae omnia Rdae D. Abbatissae erunt indicanda et interroganda, quomodo interim confessorius cum socio, qui huc mittendus est, sustentari possit, donec tribus capellanis aliter pro-

spiciatur. Deputati sunt ad haec quatuor commissarii, D. Suffraganeus, D. Abbas S. Petri Salisburgensis. D. decanus cathedralis ecclesiae hic et D. praepositus Monachiensis Stae Mariae.

Duodecima die Julii praedicti D. commissarii adierunt monasterium et, quae ipsis injuncta fuerant, D. abbatissae et monialibus exposuerunt, verum moniales adhuc in pervicaci suo proposito permanserunt, volentes omnino in hoc monasterio permanere aut consentire, ut ad alia monasteria mittantur, sed potius omnino dimittantur D. abbatissa vero sese in omnibus difficilem praebens noluit dare certum responsum, nisi sciat prius quem exitum negotium hoc circa quatuor moniales sortiatur, et quod nullo pacto aliquam illarum penes se velit retinere.

Eodem die vesperi habita consultatione, praesente R. D. Ordinario et consiliariis quibusdam conclusum est, ut tres illarum omnino ad diversa mittantur monasteria, quarta vero sub bonae odia hic retineatur, atque provideatur, ut ordinationes a R. D. Nuntio Apostolico ante biennium conscriptae et modo renovatae quam primum observentur, conclusis interim monialibus donec bene resipuerint et ad supradicta monasteria mitti debeant.

Ordinationes

pro Sanctimonialibus monasterii B. Mariae Virginis sive Stae Crucis in Niderburg ordinis D. Benedicti, Civitatis Pataviensis.

Fr. Felicianus etc. Ven. nobis in Christo dilectis abbatissae et monialibus monasterii B. Mariae Virginis sive Sanctae Crucis in Niderburg, Pataviensis Civitatis, ordinis Sancti Benedicti, salutem in D^{no} sempiternam. Non absque animi nostri molestia in monasterii vestri visitatione reperimus veterem et regularem disciplinam esse ferme collapsam atque inprimis, quae ad vestrae professionis perfectionem, regulae, clausurae, votorum et ordinis vestri peculiaris statuta et praecepta neenon ad communem vitam, victum et vestitum pertinent non modo non observari, sed etiam ignorari. Cum autem officium nostrum necessario exigit idque etiam vestrarum animarum salus serio requirat, ut per reformationis remedia vos a recta semita deviantes ad debitam religionis normam revocemus et ad vestram regularem observanciam, rectumque vivendi modum et clausuram reducamus, quatenus in qua vos decet puritate et integritate conservare possimus huic est, quod vobis sequentes ordinationes instituto et professioni vestrae convenientes et accommodatas praescribere debuimus, vobis universis et singulis tam capitibus quam membris praesentibus ac quovis tempore deinceps futuris conjunctim et divisim, auctoritate apostolica nobis concessa et qua fungimur praesentium tenore in virtute sanctae obedientiae etc. sub obstentatione divinae judicii et in terminatione maledictionis aeternae districte praeciando mandantes,

ut hujusmodi ordinationes nostras exacte observetis fideliterque custodiatis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Et quia ad sollicitandam praedictorum omnium executionem debitam praesto esse non possumus, ob id volentes quantum in nobis est, providere quatenus non obstante absentia nostra rite ad effectum ea adducantur Rmo Ordinario D. Episcopo et Principi Pataviensi, cui ordinarium jus in monasterium vestrum competit, sub divina indignatione committimus, ut per se vel alios ita rem dirigat et promoveat, quibuscunque remediis opportunis, quatenus praemissa omnia executioni demandentur et vos in hujusmodi observantia et officio continere possit.

Matutinum et omnes horae canonicae, itemque cursus B. Virginis et officium pro defunctis tempore suo cum omni modestia et devotione in choro persolvantur, quibus etiam intersit abbatissa, nisi infirmitas aut aliud legitimum impedimentum obstet.

Post Primam ingrediantur capitulum ibique legatur martyrologium et aliquot caput ex regula D. Benedicti servato ipsius ordine in legendo, ita ut idem caput non iteretur, prius quam tota sit completa, quod si aliquot caput occurrat prolixum, ita ut una vice expediri non possit dividatur in plures vices juxta necessitatem et exigentiam fiantque orationes pro benefactoribus tam vivis quam defunctis et aliis Christi fidelibus.

Ne permittatur, ut sacerdotes in ecclesia celebrent absque ministro respondente. Item non liceat uxori aditui, aut ulli mulieri quomocunque servire ad altare.

Tollatur abusus quorundam, qui in ecclesia aut circa ecclesiam quo tempore sacra fiunt clamores edunt et celebrantes perturbant.

Quae ad calices altare, sacrarium et cultum ecclesiae pertinent munde atque eleganter pro rerum convenientia habeantur.

Omnes moniales saltem semel singulis mensibus (juxta decretum sacri concilii Tridentini et constitutiones provinciales) confessiones peccatorum faciant et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari praesidio muniant ad omnes oppugnationes daemonis fortiter superandas.

Nullus confessarius suscipiatur, nisi de concessione et approbatione Rmi Episcopi et qui sit aetate, sufficientia et moribus maturus, nec scandalose vixerit, et nulla monialis etiam abbatissa nulli confiteatur, quam confessario a Rmo Episcopo deputato. Praeter ordinarium autem confessarium alius extra ordinarius a Rmo Ordinario bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Habeant peculiarem locum pro confessione ita accommodatum ut verba bene percipi, neque confessarius a monialibus nec moniales a confessario videri queant. Ad quod multum conducet si aliquo loco commodo in muro parva fenestra aperiat ac ferrea crate foraminibus patente muniatur, quae

interius versus moniales etiam telam nigram obtensam habeat, ita ut confessarius extra clausuram sit, dum confessiones audiet.

Sacerdos, qui monialibus sacram communionem statutis temporibus porrigere debet, ne posthac ingrediatur chorum aut alia loca clausurae ad celebrandum et sanctam communionem distribuendam, nisi fuerit aliqua infirma. Ac hujusmodi autem communionis usum in muro chori praeparetur fenestra, quae in altitudine palmum ac quartale et in latitudine palmum non excedat, ac lamina ferrea ad claudendum adhibeatur, cum duabus firmis seris una interius et exterius altera, quarum clavis interioris quidem abbatis-a, exterioris vero confessarius apud se habeant, nec alio quam communionis tempore aperiant. Licet sanctissimum Christi corpus non intra chorum vel septa monasterii, sed in publica ecclesia ut conservetur, decreverit sancta synodus Tridentina, non obstante quocumque indulto aut privilegio, quia tamen semel fuit surreptum et ablatum, ne posthac hujusmodi scandalum occurrat, ordinamus, ut in pariete, qui monialium chorum a reliqua templi parte segregat, fenestrella in hunc usum accomodetur, habens utrinque ostiola ferrea seris bene munita, quarum clavis apud se Confessarius retineat et interius ostiolum ad moniales prominens sit perforatum sive vacuis spatiis passim intersectum, ita ut tabernaculum in quo Sacrosancta asservatur Eucharistia, quod argenteum esse debet, in fenestrella honorifice existens a monialibus conspici queat. Ostiolo exteriori utetur sacerdos, cum sacra synaxis mutanda erit, ne clausuram hanc ob causam ingredi cogatur, interiore vero, ubi monialibus infirmis communio erit praebenda.

Abbatissa, vacante abbatiali dignitate eligatur non minor annis quadraginta et quae, octo annis post expressam professionem, laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in hoc monasterio ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni praestet, videatur, ex iis, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo ejus Ordinario consentiente eligatur.

Licet fuerit moris superioribus temporibus, ut nulla monialis in hoc monasterium susciperetur, quae non esset e nobili familia nata, quia tamen nullae fere nobilium amplius suscipi petunt, horum temporum ac morum injuria, quibus pietas christiana valde refrixit, ne ob hoc cultui divino et monasterii conservationi praedudicium fiat, concedimus, ut ubi nobiles haberi non possunt, aliae inferiores conditionis, honestae tamen, recipiantur.

Nulla ad habitum aut professionem recipiatur, nisi fuerint prius excepta monialium suffragia et examen a Rmo Ordinario praemisum.

Nulla ad faciendam professionem admittatur ante 16 aetatis

annum expletum, nec quae minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, juxta concilium Tridentinum sess. 25 de regular. et monial. cap. XV.

Professio autem fiat verbis germanicis nec solum scripto, sed etiam viva voce, in qua prius instrui debent, ut intelligant promissiones, quas faciunt praesertim circa vota et clausuram. Professionem factura prius sacramentaliter confiteatur et sacram Eucharistiam sumat, cui abbatissa in susceptione professiones etiam velum nigrum a R^{mo} ordinario vel ejus Suffraganeo prius benedictum tradat, cum caeremoniis consuetis, quod velum tantum monialibus choralibus dari debet. Insuper etiam mandamus vobis, ut professionem idiomate germanico tam scripto quam viva voce praemissa confessione sacramentali, confirmetis in manibus abbatissae coram R^{mo} Ordinario vel ejus Vicario generali, quandocumque D. Ordinarius vobis mandaverit, cui etiam curae erit unum aut alterum deputare, qui vos ea in re et regula, prius instruant. Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens S. synodus Tridentina statuit atque decernit, ut si puella, quae habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus vel eo absente vel impedito ejus Vicarius aut aliquis ab eo deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius et ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur abbatissa eum ante mensem certiozem facere, quod si abbatissa Episcopum certiozem non fecerit quamdiu Episcopo videbitur ab officio suspensa sit.

Anathemati S. Synodus Tridentina subjicit omnes et singulas personas cujuscunque qualitatis conditionis fuerint, tam clericos, quam laicos saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscunque religionis vel ad emittendam professionem, quique consilium, vel auxilium favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere aut professionem emittere quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interpotuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam originem vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quocum modo sine juxta causa impedierint. Eaque omnia et singula, quae ante professionem vel in ipsa professione fieri oportet, serventur.

Abbatissa sedulo det operam, quatenus novitiae, quae ex

seculo in monasterium se receperunt, ut Christi sponsae sint, in pietatis, timoris Domini, pudoris sanctimoniae, gravitatis, modestiae, humilitatis, regulae, constitutionum, virtutum omnium virgines Deo consecratas decorantium et regularis perfectionis studii diligenter educantur atque instituuntur, quales enim sunt in juventute, tales plerumque etiam in senectute manent juxta illud sapientis „Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.“ Quo autem inter illas uniformis servetur disciplina, ordinamus, ut eadem sit omnium magistra, a qua tam juniores professae, quam novitiae non solum doceantur et informantur, sed etiam ubi deliquerint, puniantur, nisi forte defectus sit ita gravis, ut etiam abbatissa merito consulenda videatur.

Cum allantur tres capellani, abbatissa efficiat, ut moniales saltem diebus dominicis ac festivis conciones habeant.

Abbatissa habeat suam habitationem in dormitorio Monialium vel saltem contiguam, ut facilius ac diligentius officium suum praestare possit, monialium actiones observando et omnia in Domino recte dirigendo.

Quoniam abbatissa, multis negotiis regiminis occupata, non semper potest esse apud moniales, juxta statuta et consuetudinem ordinis Priorissam vel Decanissam de scitu Rmi Episcopi instituat, quae ipsius absentis vices agat in choro et monasterio.

Quaeque monialis habeat in dormitorio peculiarem cellam et lectum juxta regulam Sancti Benedicti. Habitum integrum deferant omnes instituto suo convenientem et laneis indusiis, si erit possibile, sin minus lineis non tamen lactucatis ac rugosis, sed simplicibus et modestis. Auferantur autem eis indusia omnia lactucata sive rugosa et vestes saeculares idque genus alia statui ipsarum regulari non convenientia.

Quoniam regulam D. Benedicti idiomate Germanico non habetur in monasterio adhibeatur diligentia, ut quam primum comparetur, quae tota singulis septimanis, et ex statutis, quae etiam germanica lingua esse debent, quotidie unum aut duo capitula vel refectorio legantur.

Abbatissa vel ea impedita Decanissa, semel in septimana ad minus capitulum habeat ad puniendos monialium excessus moresque reformandos et studiose curet, ut silentium debitum temporibus et locis praesertim in choro, dormitorio ac refectorio observetur.

Ad mensam tempore prandii et coenae semper legatur aliquid ex sacris vel aliis piis libris germanicis, quam precedat benedictio, et gratiarum actio subsequatur cum psalmo „Miserere mei Deus“ et processione ad ecclesiam vel capitulum, maxime post prandium.

Jejunia Quadragesimae et alia ab ecclesia sub praeepto

indicta exacte custodiantur, absque coena, ita ut unica tantum in die fiat refectio. Infirmis tamen, senis et junioribus, quae aetatem nondum habent, interdum offa vel pulmentum, praesertim quando sequuntur multa jejunia veluti in Quadragesima concedi poterit. Jejunia etiam ab ordine instituta diligenter observentur, nisi aliquando et causa rationabili, videatur Abbatissae esse dispensandum.

Abbatissa ordinarie in refectorio cum monialibus comedat et omnibus pro necessitate dentur fereula equaliter juxta dierum requisitionem cum pane et vino ad sufficientiam, et quicquid superest, conservetur pro communi usu aut detur pauperibus. Singulis autem monialibus dentur sua fereula separata, secundum institutum ordinis in communi tamen refectorio et mensis oblongis, id quod si jam facile non possit, successu temporis fiat.

Licet autem monialibus cibus et potus ad sufficientiam praebeantur si quidem in communi refectorio aequaliter omnibus exhiberi debent, nihilominus caveant ipsae ne usque ad crapulam et ebrietatem multorum malorum escam saturentur.

Quando aliqua est in infirmitate constituta prospiciatur ipsi de medico, medicinis, cibus, aliisque rebus juxta necessitatem et convenientiam et de persona, quae inserviat.

Abbatissa in exhibendis conviviiis sit parca, frugalis et modesta, ut omnes inde sobrietatis exemplum potius petere, quam nimia affluentia et luxu scandalum capere possint, imo consultius esset, ut omnino intermitterentur.

Abbatissa etiam consideret se non esse Dominam bonorum monasterii, sed tantum dispensatricem, et ob hoc accurate videat, quam ea recte dispenset, cum non solum superioribus, sed etiam Deo rationem reddere teneatur. Propterea neminem, etiam consanguineum hospitio suscipiat; poterit tamen semel aut bis ad prandium invitare consanguineos vel affines e longinquis partibus venientes incidente hujusmodi occasione. Si tamen fuerint proximi et catholici, poterit eis quandoque ad unum vel alterum diem hospitium dare, extra clausuram tamen.

Inter tria essentialia regularium fundamenta, nimirum vota obediendiae, castitatis et paupertatis, primas partes sibi vindicat obediendia, sub qua cetera duo contineri videntur. Quapropter omnes tam abbatissam, quam moniales admonemus, ut non solum facto, sed etiam voluntate superioribus suis obedire debeant. Quod si quae restiterit, si erit abbatissa puniatur juxta inobediendiae qualitatem, etiam ad depositionem, si res ita exiget, procedendo, si vero alia monialis secundum regulam et statuta ordinis serio castigetur. Ut clausurae integritati quantum possumus ac debemus provideatur ordinamus, ut processiones monialium posthac semper fiant intra clausuram et abbatissa instituat aliquam monialem,

quae capellani honoris vice fungatur, pastorale praeferendo, uti moris est.

Quoniam sacrosancta Synodus Tridentina Bonifacii VIII. constitutionem, quae incipit „Periculoso“ renovans universis episcopis sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicae Auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, et Pius V. in duabus bullis, quae incipiunt: „Circa pastoralis officii“ et „Decori et honestati omnium Sanctimonialium“ et S^mus D. N. D. Gregorius PP. XIII etiam in duabus bullis, quae incipiunt: „Deo sacris virginibus“ et „Ubi gratiae et indulta“, idem mandant sub poena excommunicationis latae sententiae, Summo Pontifici pro tempore existenti reservata, necnon Provincialis Synodus Salisburgensis const. 33^a in eandem sententiam decernit, nos etiam periculoso statui vestro providere salubriter cupientes ordinamus et vobis injungimus, sub poenis superius expressis ut de caetero tam praesentes, quam futurae ac tam capita, quam membra, sub perpetua in vestro monasterio permaneatis clausura, juxta conciliorum et bullarum praedictorum decreta ac declarationes, quae omnia praesentium tenore publicamus et publicata esse decernimus, mandantes etiam R^{mo} Ordinario, ut in restituenda et conservanda hujusmodi clausura, officium suum faciat. Et quia nemo est praeter abbatissam, qui certam bonorum monasterii cognitionem et usum habeat, donec ea in meliorem statum et ordinem redigantur, concedimus usque ad aliam S^{mi} D. Nostri dispositionem, ut abbatissam (sic!) exigente necessitate ad inspiciendum, semper tamen de licentia R^{mi} Ordinarii, singulis vicibus accepta, exire possit, cum comitatu ab eodem R^{mo} Ordinario approbato. Moniales vero reliquae numquam egrediantur, nisi in quinque casibus videlicet, incendii, belli, inundationis aquarum, lepra et epidimiae juxta supradicta concilia et bullas.

Quia vero in vestro monasterio ob praeterita incendia, quibus conflagravit nulla forma clausurae amplius conspicitur, nec aedificia brevi tempore ad clausuram aptari queunt, vobis spatium sexennii ad hujusmodi clausuram, juxta ea, quae jam praemissa sunt et nunc sequuntur debite constituendam praeparandi concedimus, vel etiam quantum R^{mo} D. Ordinario necessarium visum fuerit. Quo tempore elapso teneantur dictam clausuram integre observare.

Clausura ad debitum statum reducta, nemo prorsus sive sit vir, sive mulier ad moniales intromittatur, praeterquam in casibus necessariis et tunc etiam de licentia ordinarii in scriptis obtenta, ut quando superior ad visitandum vel clausuram inspiciendo venit,

aut confessarius infirmis monialibus sacramenta ministrare debet vel medici ad curandas moniales in infirmitate constitutas advocantur aut artifices, quorum opera intus egetur, vel etiam famuli, bajuli, aurigae, et alii similes magna onera importare aut introducere debent. Non prohibemus tamen, quia interim familiae monasterii et aliquando etiam matronae possint in habitatione abbatissae comedere, viri autem nunquam. Abbatissae autem injungimus sub excommunicationis poena eo ipso incurrenda, ne unquam haereticos, tam mulieres, quam viros intromittat, quantum vis sint sanguine juncti.

Ad debitam clausurae custodiam, ordinamus, ut portae ordinariae, quae extra clausuram vergit durae serae, una interius et altera exteriori adhibeantur, et interioris quidem clavem Praelata apud se servet, exterioris vero oeconomus aut alius pro superiorum arbitrio deputandus, ita ut nunquam aperiri queat, nisi ambae claves in promptu sint. Abbatissam tamen interiorem clavem alicui ex senioribus monialibus, cui portae curam committendam duxerit interdiu credere possit, quam vesperi semper ad se recipiat.

Si ad clausuram una porta non sufficiet, ad summum relinquuntur duae, caeteris obstructis, una minor ad quotidianos usus, de qua jam diximus et altera major ad intromittenda vina cervisiam, frumenta, ligna, aliaque ejusmodi onera quibus importandis necessarius est equorum vel currum usus. Quae etiam porta duabus firmis seris muniatur, interius una et altera exteriori, quarum ambas claves abbatissa omni tempore servet, nec hujusmodi portam unquam aperiri patiatur nisi exigente dicta necessitate et tunc clavem exterioris serae oeconomo per rotam exponat, et interioris ipsamet ad portam afferat, vel si legitime fuerit impedita alicui ex senioribus monialibus tradat quae assistentibus etiam aliquibus aliis ab abbatissa deputatis, aperiat et expedito negotio rursus ipsa quidem interiorem, exteriorem vero oeconomus claudant et claves ad Praelatam statim referant.

Duo rotae bene munitae ac firmatae in muro accomodentur, una in ecclesia ad promenda sacra vasa, aliosque ornatus pro cultu divino servientes et alteram prope portam ordinariam monasterii ad exhibendum cibum et potum familiae aliasque res similes minoris molis intromittendas vel emittendas, majora enim, veluti ornatus preciosi, quae absque incommodo complicari non possunt, altiores argenteae imagines, grandiora vasa, et id genus alia, rotae capacitatem excedentia, quae manuum opera portari solent, per ostium ordinarium recipi debent.

Accommodetur etiam aliquis locus clausurae contiguus, quo moniales intermedio tamen pariete a consanguineis aliisque necessitate exigente conveniri queant in quo sit etiam rota, per quam res necessaria utrinque praebere possint. In eodem loco,

quem auditorium sive collocatorium appellare consueverunt, prope rotam paretur fenestra exterius firmissimis cancellis ferreis in muro bene defixis et interius versus moniales ligneis valvis, quae claudi et aperiri queant munita atque in spatio inter praedicta cancellos ac valvas medio sit etiam interjecta crates ferrea leniter perforata, vel rete aereum (!) quod etiam aperiri et claudi possit. Claves autem tam ad valvas, quam ad rete sive crates abbatissa omni tempore servet nec aperiri patiatur, nisi cum adsunt monialium consanguinei vel aliae personae necessariae, maxime commissarii destinati a principibus sub quibus monasterium habet aliqua bona et subditi monasterii ratiocinium facturi, quo etiam tempore ipsamet abbatissa praesens sit, aut ea impedita priorissa vel decanissa. In hac etiam loco vacante abbatia a R^{mo} Ordinario sive ejus Vicario in electione abbatissae singularum monialium suffragia excipiantur.

Ordinamus etiam quatenus muri, qui clausuram ambiunt, in eam altitudinem circumquaque tollantur, ut nemo transilire etiam scalis admotis facile queat, quatenus in nulla parte ingressus aut egressus pateat. Fenestrae etiam omnes in extimis clausurae muris obstruantur, aut si quae lucis causa permitti debent, ita sint a terra sursum versus remotae ut scalis ad eas difficulter perveniatur et cancellis ferreis ita muniantur, ut nullum inde periculum emergere possit.

Fenestrae etiam interiores, quae ad partes respiciunt, in quibus familia habitat, si per eas moniales prospicere, aut ab aliis possunt prospici, obstruantur, praesertim, quae colloquendi etiam commoditatem praebent. Uti vero aliquae necessariae videbuntur, maxime propter lucem, ita accomodentur, ut moniales per illas nec videri, nec alios videre queant.

Postquam clausurae fuerit perfecta ac restituta ne retineantur in famulatu monasterii intra clausuram mulieres saeculares nisi necessariae, quae sint bonae famae et a R^{mo} Ordinario approbatae; sine cujus scitu de monasterio etiam exire non debent.

Ad curam rotae communis duae deputentur, una ex senioribus velatis et altera ex conversis aut junioribus velatis et haec subiaceat seniori, quae sola respondeat advenientibus cum omni modestia, gravitate ac prudentia.

Nemo sive sit vir, sive mulier ad colloquium cum aliqua moniali admittatur, nisi de licentia abbatissae, quae hujusmodi facultatem concedere non debet, nisi etiam, alia ex senioribus, quam ipsa deputaverit, colloquio intersit, etiamsi fuerint parentes qui loqui petierint. Juniores autem moniales ne permittat a quibuscunque, praesertim viris conveniri etiam praesente seniore deputata, sed ab iis tantum, qui sanguine vel affinitate illis juncti

sunt aut saltem abbatissae bene noti, de quibus nulla queat esse prava suspicio.

Nulla monialis nec munera neque literas mittat vel accipiat sine scitu et licentia abbatissae, si quae secus fecerit, eam abbatissa carcere et jejunio in pane et aqua rei exigentia puniat.

Injungimus autem abbatissae in virtute sanctae obedientiae et sub divina indignatione, ne cui moniali licentiam det literas mittendi aut accipiendi nisi prius ipsamet eas legerit aut legi audierit.

Janitrici et rotariis sub poena privationis officiorum mandamus, ne concedant, ut moniales literas vel munera extra monasterium mittant, aut ab exteris clam accipiant, nisi prius de licentia abbatissae id fieri noverint. Et eam ob causam quotiescunque a monialibus literae aut munera tradentur exteris mittenda, vel ab exteris accipientur monialibus praesentanda, volumus, ut abbatissae prius indicent et ostendant, quam reddantur.

Instituatur praeter abbatissam et decanissam aliqua oeconomia seu procuratrix ab ordinario approbanda, quae omnis accepti et expensi peculiarem curam habeat eaque in codices referat et singulis ad minus angariis abbatissae coram senioribus velatis, quae a consilio sunt, ratiocinium faciat.

Pro voto paupertatis ad detestabile proprietatis vitium tollendum, ordinamus, ut omnia vobis communia sint et distribuuntur ab abbatissa vel ejus vice ad hoc gerente, etiam novitiis non solum victus, sed etiam tegumentum, et alia necessaria etiam in infirmitate, juxta monasterii facultatem et prout cuique opus fuerit. Proinde nemini ex vobis, (juxta Concilium Tridentinum sess. 25 de regul. et monial. c. 7.) liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo a vobis acquisita, tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim abbatissae tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat abbatissae pecuniam annuam aut bona stabilia alicui moniali concedere, etiam ad usum fructum vel usum administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasterii seu conventus ad solas officiales ejusdem, ad nutum abbatissae amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita abbatissa permittat, ut earum suppellex statui paupertatis, quam professae sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium denegetur. Quod si quae aliter quidquam tenere deprehensa aut convicta fuerit, ea biennio activa et passiva voce private sit a'que etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur. Per hoc tamen non prohibetur, quo minus aliquando a consanguineis et notis de licentia abbatissae pecuniam vel hujusmodi quid accipere possint, dummodo statim abbatissae vel depositariae, quam abbatissa deputaverit, conservanda tradant,

nec ea cum indigebunt, nisi de licentia abbatissae accipiant. Idem fiat cum pecuniis, quae ex anniversariis monialibus destinatae sunt. Pecaniae autem omnes monialium, quas apud se vel apud alios praesertim extraneos quomodocunque habent sint monasterio incorporatae.

Moniales sacrilegium carnis committentes notorium, praeter carceres, jejunia et alia macerationis genera ad dispositionem Rmi Ordinarii infligenda, si fuerint in dignitate, gradu et officio aliquo constitutae ipso facto sint hujusmodi dignitate, gradu honore seu officio privatae absque ulla spe restitutionis; sin aliae, sint perpetuo inhabiles ad praelaturam ad alios honores atque officia gerenda. Ubi vero hujusmodi peccatum secretum erit juxta sacros canones et regulae sanctiones puniantur.

Semel in anno coram Ordinario aut ejus commissario in supradicto auditorii sive collocutorii loco fiat ratiocinium generale omnium proventuum et expensarum monasterii, quae tam intra clausuram inter moniales, quam extra in familiam aut quomodocunque fiunt.

Prohibemus sub poena excommunicationis latae sententiae, ne abbatissa bona immobilia magni momenti emere, vendere, oppignorare, commutare aut quomodocunque alienare possit, sine expresse capituli ad signum campanae in loco capituli consueto congregati consensu in scriptis relato et Ordinarii approbatione etiam in scriptis obtenta. Qui nec ipse licentiam vendendi concedat, nisi Sanctam Sedem Apostolicam consuluerit, nisi fiat aliqua mutatio honorum pro majore monasterii utilitate.

Similiter interdicimus ne abbatissa pro aliquo fide jubeat, maxime ubi agitur de magna summa, ut hactenus ab aliquibus cum gravi monasteriorum dispendio factum est. Quae si contra fecerit, illico sit praelatura privata et ad illam rehabendam ac omnes alias obtinendas inhabilis.

Abbatissa quatuor vel tres aut duos ad minus si pauciores sint moniales, habet consiliarias ex senioribus et prudentioribus delectas et ab Ordinario approbandas, quae in quibusdam locis discretas appellari solent, cum quibus omnia negotia conferat, et absque illarum consilio in rebus praesertim arduis nihil statuat aut efficiat.

Cum sunt duo sigilla, unum abbatissae et alterum monasterii, suum abbatissa apud se retineat, alterum vero servetur in aliquo loco monasterii sub tribus clavibus, quarum unam abbatissa alteram Decanissa, et oeconomia tertiam retineant. Ibidem etiam conserventur pecuniae majoris summae, argentea vasa et scripturae monasterii.

Quoniam vero novitiae et aliae juniores recte educari et in regula ac ritibus ordinis bene institui non possunt, nisi adsint

aliquae moniales iis in rebus jam versatae et exercitatae, ob id cum neque abbatissa nec aliae moniales quae sunt in monasterio regulam unquam viderint, nedum legerint, aliunde tres moniales ejusdem ordinis advocari mandavimus, quarum una decanissae, et aliae duae aliis juxta Rmi Ordinarii et abbatissae, cui subjectae erunt dispositionem, officiis et muneribus fungantur. Quia etiam illud curandum est, ut per susceptionem puellarum honestarum et bonae indolis, quae habitum induere velint, numerus monialium augeatur, mandamus, ut duae puellae, quae Monachio advenient, ut isthic habitu indutae, Deo inserviant, recipiantur, et cum aliis instituantur juxta necessitatem et exigentiam monasterii.

Illud quoque ad monasterii reformationem multum profuturum videtur, ut confessarius aliquis cum collega sacerdote ejusdem ordinis ex aliquo monasterio hic saltem ad biennium habeatur, cujus studio et opera reformatio juxta ordinis institutum bene procedat.

Ut autem praesentes ordinationes nostrae observentur et melius haerent memoriae mandamus, ut semel in mense in refectorio vel capitulo germanice translatae legantur.

In quorum fidem ac robur, hic sigillo nostro, quo in talibus utimur munitis propria manu subscripsimus. Datum Passaviae Anno ab incarnatione Dominica MDLXXXI. die vero penultima mensis Augusti et renovatae anno MDLXXXIII die vero undecima mensis Julii. Pontificatus praelibati Smi Dni Papae Gregorii XIII. Anno duodecimo.

De Smae. Trinitatis Mysterio.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

(Conclusio. Vide fasc. I. 1900, pg. 35—43.)

m) Sicut autem ex aeternis Sapientiae splendoribus oritur in Deo infinitum amoris incendium, per quod producit Spiritus Sanctus, unionis affectivae inter Patrem et Filium nexus beatissimus; atque ipse Spiritus, qui lux et charitas est, lumen sapientiae simul et charitatis ignem diffundit in animabus quibus illabitur; ita in ordine visibilium omnis focus lucis radios emittens, calorem simul diffundit, et per hoc sol iste visibilis, cujus calore animalium vita fovetur atque plantarum, assimilatur quodammodo Spiritui S., qui sua ad animas nostras communicatione, divini amoris, qui nostra vita et beatitudo est,¹⁾ facit nos esse participes; vel etiam

¹⁾ Nihil in nobis charitate vel divino amore pretiosius aut sublimius, quia nihil dignitate filii Dei quae charitate continetur, excellentius: si enim per gratiam sanctificantem filii Dei constituimur, per charitatem ut filii Dei operamur; beati-